


Google


UC-NRLF
$B 98 419


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII

DE

ΘΕΙΩΙ HERODOTEO

SIVE

DE HERODOTI IN COMPONENDIS RERUM MONUMENTIS PIETATE

SCRIPSIT

GUIL. BOETTICHER,

PHILOS. DOCTOR ET GYMNASII PROFESSOR.

Ankündigungsschrift

zu den

in dem Königl. Friedrich Wilhelms Gymnasio

und

der Realschule

am

Dienstag, Mittwoch und Donnerstag, dem 6. 7. und 8. April

zu

haltenden Schulfeierlichkeiten,

zu welchen

die Beschützer und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst einladet

der Director

August Spilleke.

Berlin, 1830.

Gedruckt bei G. Reimer.

Greek-Sather

DE

ΘΕΙΩΙ HERODOTEO

SIVE

DE HERODOTI IN COMPONENDIS RERUM MONUMENTIS PIETATE.

Cum de vita et libris Herodoti ejusque in conscribenda historia arte satis multa viri doctissimi in medium protulerint, de pietate ejus, sive meram eam superstitionem esse rati, sive quod totam hanc rem in antiquo scriptore dijudicando minus gravem arbitrati sunt, vix singula quaedam attigerunt, licet prae ceteris pium appellare Herodotum nemo facile sit qui dubitet [1]). Neque vero etiam quisquam, qui libros ejus accuratius inspexerit, in hoc potissimum sensu versari hujus scriptoris animum negabit. Quamvis enim uberrima rerum copia, mirifica prorsus narrationis jucunditate occupet quasi ac deliniat legentium animos, ubique tamen divinum illud numen, ad quod omnes rerum humanarum mutationes ac vicissitudines refert, tanta vi tantaque majestate praeditum ante oculos nobis proponit, ut non videre solum, sed coram adspicere nobis videamur deos omnium vel minimarum rerum intentissimam curam gerentes. Quodsi igitur penitus eum cognoscere altiusque ingenium ejus introspicere volemus, simul quid maxime in componendis rerum monumentis secutus sit investigaturi, videndum nobis erit, quale illud sit *θεῖον*, qualemque de vi ac natura ejus notionem conceperit Herodotus.

Sed latius multo patet haec res, quam quae ad solum nostrum ejusque de numine divino ac rerum natura judicium sit referenda. Pertinet enim omnino ad veram

[1]) E poetico tantum scriptoris consilio hanc pietatem profectam esse in eoque uno versari falso quidam auctores sunt. Vide Kreuzerum in libro qui inscr. Die historische Kunst der Griechen, p. 149 sqq. et contra eum disputantem Dahlmannum in Herodot; aus seinem Buche sein Leben, p. 213.

historiae et componendae et tradendae rationem, ut in iis quoque, quae jure meritoque in tota hac disciplina summa dixeris, Herodotum exemplar agnoscamus, non perfectum illud quidem omnibusque numeris absolutum, sed quod multis, qui supra hanc rerum mortalium humilitatem sapere non audent, ad altiora ac stabiliora veram rectamque viam monstrare possit.

Non in sola rerum gestarum enumeratione ac descriptione versari debere historiam cum nemo facile infitietur, plerique tamen, iique minime spernendi hujus rei judices, satis jam fecisse sibi videntur historiae dignitati, si in ipsis primum rebus congerendis veritatis lege servata, in causas quoque earum ex hominum vel consiliis vel libidinibus profectas acerrime inquisiverunt atque quem eventum habuerint quam accuratissime exposuerunt. Hanc esse pragmaticam, quam dicunt, historiae componendae rationem a Thucydide potissimum, postea majore cum studio a Polybio et ceteris paene omnibus rerum scriptoribus observatam neque etiam ab Herodoto neglectam, constat inter omnes, longumque est hoc loco pluribus persequi. Sed licet egregia multa ei debuerit atque nostris etiam temporibus debeat historiae studium, idque ipsum sine ea vix cogitari queat, tantum tamen abest ut sola ea acquiescere possimus, ut, nisi pio etiam animo ad deum rerum omnium causas referamus, re altius perspecta ne fundamentum quidem firmum solidumque in quo insistamus habere videamur. Etenim cum mortalia omnia fluxa sint ac debilia, nihilque sit tam stabile, quod non evertat aliquando mutatus rerum humanarum ordo, nihil tam clarum atque excelsum, quod non obscurari superarique possit a majoribus posterae aetatis contentionibus, si nihil aliud esset historia nisi harum rerum quantumvis egregia descriptio, haud multo majorem ex ea caperemus fructum, quam e fabula quadam percipiunt homines, etsi insertis quibusdam vitae bene gerendae praeceptis, tamen volucri tantum brevique periturae spectantium oblectationi scripta. Sed ut in privata singulorum vita multa probant, non casu, sed dei numine ac providentia res nostras regi, unde apud veteres genii, quem per integrum vitae decursum hominis quasi comitem ac tutorem esse putabant, orta esse videtur notio, ita in totius etiam generis humani rebus, quicunque ad ea animum intendere volet, clarissima numinis illius documenta per medias hominum contentiones dispiciet; atque hanc quoque vim antiquitas animae cujusdam esse credidit divinae late per totum hunc mundum diffusae. Neque tamen multum prodesset haec cognitio ad veram in studio historiae viam inveniendam, nisi accederet ad eam adsidua rationis quae inter humanas divinasque rerum causas intercedit contemplatio, eaque e sola animi pietate proficiscitur, quin ipsam recte pietatem dixeris. Namque ut nihil prope valet ad mores nostros regendos vitamque recte instituendam pius quidam animi sensus cogente quasi graviore aliquo casu et ortus repente et cum ipsa illius memoria eva-

nescens, quod non in singulis modo hominibus sed in maximis etiam civitatibus ac gentibus observari licet: ita rerum scriptor parcus ille numinis divini cultor et infrequens ex abruptis istis pietatis sensibus inseret quidem atque intermiscebit quaedam historiae, sed nunquam inde apparebit omnes omnium hominum fortunas non pendere solum ex illius numinis arbitrio, sed regi etiam ab eo sapientissimo sanctissimoque consilio. Comparatis vero iis quae a variis hominum studiis profecta sunt cum earum rerum momentis, quarum in eo solo qui cuncta temperat sitae sunt causae, habebit profecto historia et quo nitatur et quo omnium animos ad id convertat, quod unum inter ipsa rerum mortalium ludibria et inanes impii vulgi conatus stabile mansurumque est. Et ita quidem rerum scriptores, maxime ii qui universi generis humani historiam complectuntur, sacro quodam munere perfuncti, recte ipsius providentiae divinae administri dicuntur [1]).

Quae cum in universum sufficere possint ad indicandum explicandumque consilium, quod in disputatione nostra de Herodoti pietate secuti sumus, reliquum tamen est, ut de discrimine pauca addamus, quod intercedit inter antiquam illam et Christianam nostram de his rebus sentiendi cogitandique rationem, ne vituperantes quaedam in Herodoto e communi illorum temporum superstitione exorta iniqui et ipsius et totius omnino antiquitatis judices esse videamur, utque ea ipsa quae modo exposuimus ad altiorem perspicuitatis gradum evehantur.

Nos igitur, cum ad unum verumque deum eo duce qui perfecstissimum ejus exstitit exemplar propius accesserimus, cumque, ab errore in rebus ad vitam secundum legem divinam instituendam regendamque pertinentibus liberati, certum quodque ubique sibi constet de iis judicium adepti simus [2]), penitus perspecta eorum omnium quae legi illi repugnant fragilitate ac vanitate, nihil neque in privata nostra neque in totius generis humani vita solidum atque in omnem aeternitatem duraturum agnosci-

[1]) Cf. Diod. Sic. I, 1. *Τοῖς τὰς κοινὰς ἱςορίας πραγματευσαμένοις μεγάλας χάριτας ἀπονέμειν δίκαιον πάντας ἀνθρώπους, ὅτι τοῖς ἰδίοις πόνοις ὠφελῆσαι τὸν κοινὸν βίον ἐφιλοτιμήθησαν. — Ἔπειτα πάντας ἀνθρώπους, μετέχοντας μὲν τῆς πρὸς ἀλλήλους συγγενείας, τόποις δὲ καὶ χρόνοις διεςηκότας, ἐφιλοτιμήθησαν ὑπὸ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἀγαγεῖν, ὥσπερ τινὲς ὑπουργοὶ τῆς θείας προνοίας γενηθέντες.* — Sed magna cautio adhibenda est scriptori, ne pietatem illam cum doctrinae alicujus sive philosophicae sive theologicae praeceptis ac placitis confundat, quae qui obtrudunt historiae, hanc totam disciplinam corrumpunt ac pervertunt.

[2]) 1. Cor. 2, 11. 12. 14—16. *τὰ τοῦ θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. Ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ, ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν. — Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐςι, καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, αὐτὸς δὲ ὑπ᾽ οὐδενὸς ἀνακρίνεται. Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν; Ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριςοῦ ἔχομεν.*

mus, nisi quod ad imperium illud divinum, cujus fundamentum esse credimus Christum dei filium, firmandum latiusque propagandum valeat. Itaque ab eo omnia longe remota esse censemus quae e peccatis pravitatibusque hominum proficiscuntur, eaque sola animum nostrum subit tristitia, quam ex hoc ipso discidio concipimus; sed maximo sanctissimoque implemur gaudio cum reputamus, multum jam profecisse spiritum illum generis humani liberatorem, simul confisi penitusque animo infixam spem alentes, nunquam eum neque cessare neque reprimi posse, donec homines omnes veros orbis terrarum dominos reddiderit et ad dei sanctissimi similitudinem evexerit. Quae cum ita sint, et vitam omnem et litteras artesque eo potissimum tendere debere intelligimus, ut ad istum finem, qui summus nobis est propositus, perveniamus, atque historiae id maxime injunctum esse officium, ut quid offecerit quidve profuerit huic studio accuratissime exponat.

Num igitur antiquos nihil veri, nihil magni nec in vita nec in artibus litterisque assecutos esse dicemus? Nullane eos spiritus divini aura afflavit? Nihilne etiam in componenda rerum gestarum memoria ad dei numen respiciunt? Nae isti vehementer errant, qui tam impiam esse arbitrantur antiquitatem, ut ab ejus quasi contagione arcendos esse putent Christianos homines, atque haud scio an magis etiam vituperandi sint quam ii, qui antiquitatis studio plus aequo occupati ac dulcedine ejus irretiti ad Christianam fidem vitamque minus applicant animum; verendum enim est, ne recti verique sensu plane destituti vanam quandam imaginem, non veram divini filii faciem intueantur. Quid? solumne florem fructumque inde enatum almae terrae matri originem debere credimus, ipsam arborem ramorum foliorumque laetissimo ornatu praeditam, dum flore fructuque caret, contemnendam esse rati? Nonne in ipsis sacris libris legimus, ita institutum fuisse a deo sapientissimo, ut tempora sua opperiretur is, qui ad eliciendum illum generis humani florem in hanc descendit terram? Quid ergo exspectasset nisi bene praeparatum pectus viresque ad recipiendam pleniorem veramque vitam idoneas? Est igitur, est in ipsa quam contemnunt antiquitate divinus ille animus [1]), qui depressus quidem et a peccatis erroribusque hominum quasi in infimum demersus naturae humanae recessum, vim tamen exserit suam augurioque quodam quamvis obscuro beatioris aevi ortum ominatur. I nunc et despice Socratem, Platonem ceterosque dei illius vates, sperne Herodoti in consignanda rerum gestarum memoria pietatem; si nihil aliud, arborem illam, ut in eodem simili persistam, foliorum tibi cultu orbaveris ipsique flores ac fructus minus gratum laetumque tibi praebebunt adspectum. — Sed nunquam sane folia in ipsos flores fructusque transmutari possunt,

[1]) Act. 17, 28. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καί ἐσμεν· ὥς καί τινες τῶν καθ᾽ ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν.

nunquam sine ope divina homines ad vitam vere vitalem, ad verae libertatis usum, ad plenam dei cognitionem pervenissent. Ubique enim, cum ne optimi quidem liberi essent a peccati culpa, error admixtus vero, odium adnexum fraternae omnium caritati, communis salutis studium proprii commodi cupiditate pollutum prohibuit ne ipsi suis animi ingeniique viribus novam eamque divinae legi accommodatam vitae formam induerent. Neque aliam eorum rationem esse, qui nostris temporibus ob animi vel imbecillitatem vel perversitatem ac superbiam divinum illud beneficium respuunt, probe perpendant, qui solos antiquos cum superstitionis tum impietatis insimulant, cum praesertim ad antiquitatis studium in juvenum institutione recte tractandum vel gravissima sit hujus rei reputatio. Quodsi enim e juvenili animo errorem exstirpandum atque omne pravitatis genus eruendum esse ducimus, ut ad illum aetatis florem pervenire fructusque possit edere uberrimos, recte ac sapienter sane eos, quorum capax est altioris eruditionis ingenium, ad prisci illius aevi cognitionem perducimus, quod iisdem fere virtutibus vitiisque praeditum erat, quibus juventutis nostrae ad veram firmamque fidem nondum evectae animum instructum esse videmus. Inde igitur quid bonum, quid contra vitiosum sit in hominum natura perdiscant, inde sumant quod vitent, inde quod imitentur, inde vero etiam perspiciant, ut antiquorum quantumvis eximiae ingenii vires non suffecerint ad exterminanda quae sola obstant vitae beatae vitia generis humani, sic nulli omnino mortalium salutem concessam esse nisi si ad naturalem illam indolem accesserit ea divini spiritus vis, cujus solus dei filius auctor exstitit.

His igitur quantum per brevissimum hujus scripturae spatium licuit accuratius expositis, in illa Herodoti pietate quid probandum magnique faciendum sit, quid contra improbandum ac vituperandum facilius intelligemus, jamque singula persecuturi quale illud sit *θεῖον* atque quam vim in homines exerceat perquiramus, unde sponte patebit qua potissimum in re pietas scriptoris versetur.

Ac primum quidem id statim haud leve pietatis suae documentum praebet Herodotus quod opponendo humana divinis non obscure indicat utriusque quidem rei in historia rationem habendam esse, sed ita, ut numinis divini necessitate tantum ipsa cogente mentio injiciatur, quippe quod in maxima humanarum rerum varietate idem semper sit sibique constet ubique [1]). Quare ubi plura de diis ingerit veniam ipsos precatur [2]) atque omnino summa cum verecundia de iis loquitur [3]), quam eo quoque ipso prae se ferre videtur, quod *θείου* et *θεοῦ* plerumque vocibus aliove quo

[1]) II, 3. 4. *τὰ θεῖα τῶν ἀπηγημάτων. — ἀνθρωπήϊα πρήγματα.*

[2]) II, 45. *περὶ μὲν τούτων τοσαῦτα ἡμῖν εἰποῦσι καὶ παρὰ τῶν θεῶν καὶ παρὰ τῶν ἡρώων εὐμένεια εἴη.*

[3]) IX, 65. *δοκέω δὲ, εἴ τι περὶ τῶν θείων πρηγμάτων δοκέειν δεῖ, ἡ θεὸς αὐτή σφεας οὐκ ἐδέκετο, ἐμπρήσαντας τὸ ἱρὸν* cet. Cf. II, 64; I, 158. 159.

communi vocabulo utitur, non ad singulos respiciens deos, quorum a poetis maxime inventa esse dicit nomina, cum aqud priscos quidem Pelasgos sine nomine fuissent; quin ea etiam, quae de natura habituque eorum circumferantur, e poetarum ingenio profecta esse ait [1]). Itaque nihil aliud exprimit *θεῖον* [2]) illud nisi fatum, cujus ipsi dii obnoxii esse dicebantur imperio, et e quo omnia pendere credebantur, quae, diis quasi administris et interpretibus, hominibus portenderentur primum, deinde, quicquid contra molirentur, acciderent; eodemque cetera etiam trahenda sunt vocabula quibus maxime variis Herodotus usus est, ut evitatis declinatisque poetarum de deorum natura fabulis commenticiis, in universum tantum ac verecunde simul numinis divini exprimeret potentiam.

Ipsa igitur Pythia Croeso, cum oraculi ambiguitate in fraudem inductus perfidiam exprobraret Apollini, respondit: sortem fato destinatam defugere ne deo quidem concessum esse [3]), Croesum autem Gygis proavi crimen luisse. Atque is postquam Candaulem, qui idem fato quodam cogente [4]) in hanc perniciem abreptus est, interfecit, confirmatus quidem ab oraculo Delphico in regno Lydorum, quo per vim ac fraudem potitus erat, responsum tamen tulerat a Lydis ipsisque regibus neglectum donec eventu comprobaretur, abnepotem Gygis poenas olim daturum Heraclidis regno deturbatis [5]). Et mirum sane in modum Croesus hujus fati expertus est vim, non uno quasi ictu ab eo eversus, sed domesticis primum vulneribus afflictus gravissimis. Nam ex duobus quos susceperat filiis cum alter corpore esset debilis ideoque contemptus [6]), alter, inter omnes facile princeps aequales, praematura morte patri est ereptus, jaculo, quod Adrastus hospes in aprum vibraverat, in regis filium aberrante. Et Adrastus quidem, qui ante jam fratrem imprudens necaverat [7]), vitae, quam deorum ira exagitaret, ipse finem imposuit [8]). Croesi autem luctum gravissimum Cyri victoris metus excepit [9]), captisque ab hoc Sardibus cum ipse a Persa quodam infestis armis peteretur, filius ille alter, mutus ad id tempus, rupta subito voce

[1]) II, 52. 53.

[2]) III, 40. et aliis locis, qui infra laudabuntur.

[3]) I, 91. *Τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ.* Quapropter ipse Apollo, medius quasi inter fatum illud atque homines, quod Croeso imminebat declinare ab eo frustra dicitur studuisse.

[4]) I, 8. *χρῆν γὰρ Κανδαύλῃ γενέσθαι κακῶς.*

[5]) I, 13.

[6]) I, 34. coll. 38.

[7]) I, 35.

[8]) I, 45.

[9]) I, 46.

„mi homo, inquit, ne Croesum interficias", atque ita servata patris vita explevit Pythiae oraculum, quo illa infortunatissimo eum die locuturum esse responderat [1]).

Jam vero Astyagis adversus fatum illud conatus quomodo ad irritum ceciderint vel pueralis nota res est. Ipse Cyrus divina quadam sorte natus sibi esse videbatur [2]), ut ad Persas transferret Medorum imperium; divinitus [3]) uxor illa bubulci, cui exponendum Astyages nepotem tradiderat, eo ipso die mortuum edidit partum, quem pro regio puero feris projiceret maritus; ab ipso numine obcaecatus ac mente privatus [4]) Astyages, cum contra Cyrum educeret exercitum, Harpagum militibus praefecit. Cambyses deinde, ubi factis suis iram numinis meritus ex Aegypto in Asiam rediit, suo gladio, qui vagina forte exciderat, mortifero affectus vulnere Ecbatanis Syriae, ubi fatale ei erat vita decedere [5]), moritur, cum ipse oraculum, quod hunc vitae exitum portenderat, ad Ecbatana Medorum referens, ibi in sede regia senem se moriturum sperasset. Sed majorem etiam in modum adversus Persas, cum Xerxe duce Graecorum opprimere vellent libertatem, vim suam fatum exseruit; quin regi jamjam obtemperanti Artabani consiliis ne bellum Graeciae inferret per somnum identidem obtulit speciem non solum exhortationibus sed minis etiam interjectis ad poenitentiam mutati consilii animum ejus adigentem, eademque mox ipsi Artabano adfuit dormienti, minitantique similis monuit ne id quod deberet fieri dissuaderet. Quo visu perterrefactus Artabanus, cum jam divinitus ea missa putaret Graecisque fatalem quandam cladem imminere crederet, haud ultra morari ausus est coepta regis [6]), cui tum ad bellum sese accingenti frustra oblata est nova per quietem imago, quae ambiguitate quasi ludificaretur calamitatem a fato ipsi destinatam [7]).

[1]) I, 85.

[2]) I, 126. *αὐτὸς — δοκέω θείῃ τύχῃ γεγονὼς τάδε ἐς χεῖρας ἄγεσθαι.*

[3]) I, 111. *τῷ δ' ἄρα καὶ αὐτῷ ἡ γυνὴ, ἐπίτεξ ἐοῦσα πᾶσαν ἡμέρην, τότε κως κατὰ δαίμονα τίκτει.* cf. 112.

[4]) I, 127. *στρατηγὸν αὐτέων, ὥστε θεοβλαβὴς ἐὼν, ἀπέδεξε Ἅρπαγον, λήθην ποιεύμενος τά μιν ἐόργεε.*

[5]) III, 64. *συλλαβὼν δὲ τὸ θεοπρόπιον εἶπε „Ἐνθαῦτα Καμβύσεα τὸν Κύρου ἐστὶ πεπρωμένον τελευτᾷν."* Simili modo Babylonis expugnatio ad fatum refertur cp. 154. *μόρσιμον εἶναι ἤδη τῇ Βαβυλῶνι ἁλίσκεσθαι.*

[6]) VII, 12. 14. 15. 17. (*οὔτε ἐς τὸ μετέπειτα, οὔτε ἐς τὸ παραυτίκα νῦν καταπροΐξεαι ἀποτρέπων τὸ χρεὸν γενέσθαι*) 18. *δαιμονίη τις γίνεται ὁρμὴ, καὶ Ἕλληνας, ὡς ἔοικε, φθορή τις καταλαμβάνει θεήλατος.*

[7]) VII. 19. Cf. Aeschyl. Pers. 345 sq.

ἀλλ' ὧδε δαίμων τις κατέφθειρε στρατὸν,
τάλαντα βρίσας οὐκ ἰσοῤῥόπῳ τύχῃ.

v. 353 sq. *ἦρξεν μὲν, ὦ δέσποινα, τοῦ παντὸς κακοῦ*
φανεὶς ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων ποθέν.

v. 725. *φεῦ μέγας τις ἦλθε δαίμων ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς.*

Nec minus sane Graeci irrevocabiles fati casus numinisque potentiam experti sunt. Necessitate ipsa cogente secundum oraculi sortem Attica Persis subjecta est integra [1]), misera morte periit Miltiades [2]), ex Eetionis prole, Cypselo, pernicies enata est Corinthiis [3]), Leonidas cum suis cecidit in Thermopylarum angustiis [4]), et Tisamenus, Antiochi filius, cui Pythia olim responderat, quinque ipsum maxima certamina excepturum, quique non intellecta oraculi sorte gymnasiis operam dederat, quasi gymnica ista deus ipsi portendisset certamina, fato ita struente, quinque Spartanorum proeliis vates interfuit veridicus [5]).

Itaque ab ipso profecta fato [6]) nunquam ad irritum cadunt oraculorum responsa, vaticinia ac somnia, licet ambiguitate et obscuritate eorum multi in errorem inducantur [7]). Neque etiam corrumpi se patiuntur oracula, et quantumvis fraudulentis hominum artificiis tentata veritatem suam constanter probant [8]). Quare ipse Herodotus nolle se oraculis tanquam non veris adversari pio profitetur animi sensu [9]), neque in hac re neque omnino in iis, quae de *θείῳ* sive fato in universum exposuimus, arte quadam ductus qua in componenda uteretur historia, sed cum temporis illius tum suum de rebus divinis judicium prolocutus firmissima etiam superstitionum persuasione nixum. Atque ea si excipias, quae ab hac quasi infantia aevi illius profecta singulis scriptoribus nec vitio verti nec ita possunt imputari ut dubium reddere valeant pium ipsorum sensum, his ipsis in rebus ea cernitur Herodoti pietas, qua qui ad componenda rerum monumenta accedant non sine maximo ipsius disciplinae damno carere posse diximus. Licet enim humanis rerum rationibus causisque omissis superstitiose multa a solo fato repetat, agnoscit tamen, agnoscit inquam ad quod quasi ad ultimam omnium rerum causam cuncta referenda sint numen divinum, sive illud *θεῖον* sive *δαίμονα* sive alio

1) VIII, 53. *Ἔδεε γὰρ κατὰ τὸ θεοπρόπιον πᾶσαν τὴν Ἀττικὴν τὴν ἐν τῇ ἠπείρῳ γενέσθαι ὑπὸ Πέρσῃσι.*
2) VI, 135. *δεῖν γὰρ Μιλτιάδεα τελευτᾶν μὴ εὖ.*
3) V, 92, 4. *Ἔδεε δὲ ἐκ τοῦ Ἠετίωνος γόνου Κορίνθῳ κακὰ ἀναβλαστεῖν.*
4) VII, 219. 220. *ἐκέχρηστο γὰρ ὑπὸ τῆς Πυθίης — ἢ Λακεδαίμονα ἀνάστατον γενέσθαι ὑπὸ τῶν βαρβάρων, ἢ τὸν βασιλῆά σφεων ἀπολέσθαι.*
5) IX, 33. 35.
6) III, 124; VIII, 96 et passim. Cf. Aesch. Pers. 800 sqq.

— εἴ τι πιστεῦσαι θεῶν
χρὴ θεσφάτοισιν, ἐς τὰ νῦν πεπραγμένα
βλέψαντα· συμβαίνει γὰρ οὐ τὰ μὲν τὰ δ' οὔ.

7) I, 53—56. 66.
8) I, 51. 47. 49.
9) VIII, 77. *Χρησμοῖσι δὲ οὐκ ἔχω ἀντιλέγειν, ὡς οὐκ εἰσὶ ἀληθέες, οὐ βουλόμενος ἐναργέως λέγοντας πειρᾶσθαι καταβάλλειν, ἐς τοιάδε πρήγματα ἐσβλέψας* cet. Cf. VI, 18. 19. 107. 139. 140.; I, 78. Sed probe ab iis distinguit hominum fallacias. V. I, 60 coll. VII. 152.

nomine appellaverit; nam cuncti omnino homines ante eum natum, qui ad veram dei cognitionem viam aperuit, ignotum, ut Apostoli verbis utar [1]), deum coluere, sed coluere tamen etiam Herodoti similes multi, dum haud pauci eorum qui cognitum eum habere possent nostris temporibus nullam ejus neque in vita neque in litteris curam agunt [2]).

Jam vero praemissis quae in universum de *θείῳ* Herodoteo dicenda esse videbantur, qualem illud vim in res humanas exerceat videndum nobis est. Ac primum quidem deum in rerum natura sapienter cuncta ordinasse in eaque nihil sine ejus providentia nasci ac provenire pluribus locis probat Herodotus [3]), deinde vero in iis, quae ad homines cum singulos ac privatos tum gentes integras et civitates pertineant, potentiam ejus cerni [4]) ita demonstrat, ut in hac re totius operis consilium versari appareat. Quod cum bella potissimum amplectatur a Persis contra Graecos gesta, ad ea nobis prae ceteris erit respiciendum, quo facto eorum quoque rationem habebimus quae ex reliqua historia adnexa atque inserta huic narrationi minus qui-

[1]) Act. 17, 23. *διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο· Ἀγνώςῳ Θεῷ. Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν.* Cf. Herod. II, 52. *οὐ γὰρ ἀκηκόεσάν κω.*

[2]) Igitur ex parte tantum vera sunt quae Kreuzerus proponit in libro qui inscr. Herodot u. Thucydides p. 94 sq. „Der menschliche Verstand sucht erst lange die nächsten Erklärungsgründe für auffallende Erscheinungen in den unbekannten Regionen des Uebersinnlichen, bis er sich auf das ihm näher liegende Feld der Erfahrung einschränken lernt. In diesem Falle befand sich Herodot mit seinen Zeitgenossen." Vehementer enim cavendum est, ne ejusmodi sententiis inducti in contrarium incidamus vitium. Solis scilicet humanis rerum rationibus acquiescentes ex iisque solis omnium quae accidunt causas repetentes dum data opera ab iis quae supra hujus aevi vicissitudines elata sunt avertimus oculos, nimis sane angustis finibus circumscribemus animum ad investigandum contemplandumque divinum rerum ordinem ab ipso deo hominibus datum. Cui qui istas res quas manibus quasi comprehendimus propiores esse credunt quam ipsum illud divinum numen, in quo tamen tota vertitur vita nostra, magis profecto caecutiunt quam pius noster Herodotus, et, dum omnia perspicere se posse opinantur, nihil prorsus vident nisi suam omniumque rerum quantumvis egregiam humanae sapientiae speciem prae se ferentem imbecillitatem atque inconstantiam.

[3]) II, 52 *Θεοὺς δὲ προςωνόμασάν σφεας ἀπὸ τοῦ τοιούτου, ὅτι κόσμῳ θέντες τὰ πάντα πρήγματα καὶ πάσας νομὰς εἶχον.* III, 108 *καί κως τοῦ θείου ἡ προνοίη, ὥςπερ καὶ οἰκός ἐςι, ἐοῦσα σοφὴ, ὅσα μὲν ψυχήν τε δειλὰ καὶ ἐδώδιμα, ταῦτα μὲν πάντα πολύγονα πεποίηκεν, ἵνα μὴ ἐπιλίπῃ κατεσθιόμενα* cet. cap. 119 *Ὦ βασιλεῦ, ἀνὴρ μέν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι· πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκ ἔτι μευ ζωόντων, ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο.*

[4]) VII, 8, 1 Xerxes ad Persarum principes conversus *οὐδαμᾶ κω* inquit *ἠτρεμήσαμεν, ἐπεί τε παρελάβομεν τὴν ἡγεμονίην τήνδε παρὰ Μήδων, Κύρου κατελόντος Ἀςυάγεα· ἀλλὰ θεός τε οὕτω ἄγει, καὶ αὐτοῖσι ἡμῖν πολλὰ ἐπέπουσι συμφέρεται ἐπὶ τὸ ἄμεινον.*

dem grande sed idem tamen divinarum humanarumque rerum spectaculum praebent minoribus dumtaxat, ut sic dixerim, ejusdem imaginis tabulis propositis.

In bellis igitur Graecorum contra Persas describendis id potissimum secutus est Herodotus, ut illos pio ac verecundo animo se suaque omnia diis subjicientes atque eam ipsam ob causam, vera praeditos virtute ac fortitudine, quamquam numero opibusque longe inferiores, numinis divini auxilio feliciter pugnasse ostenderet adversus barbaros impios, divini humanique juris superbissimos contemptores ideoque ab ipsis diis odio habitos. Eoque munere, licet acerrimo patriae amore incensus, ita functus est, ut quae deorum ope [1]) felicissimo eventu gesta omnium Graecorum animos commovissent, sine ira et studio amotoque omni oratorio cultu sola rerum fide traderet.

Et Graecos quidem levi ac parabili cultu contentos [2]) uni videmus libertati servandae prospicere. Sola deorum freti fiducia [3]) adversus ingentes hostium copias proficiscuntur, deos et ante pugnam precibus invocant [4]) et victoria reportata grato animo venerantur [5]), deorum denique injurias a scelestissimo hoste illatas omni virium contentione conantur ulcisci [6]), ceterum erga victos etiam moderatum clementemque praebentes animum honestatisque in ipsa ira et victoria studiosi [7]). Atque ob has tantas tamque egregias virtutes quoquo modo a diis proteguntur, adjuvantur, in ipsam victoriam divino quodam impetu feruntur. Nam qui omnium consiliorum auctores sunt hominibus [8]) cum in universum victoriae spe fiduciaque implent Graecorum animos, tum singulis praesentiae suae documentis ad pugnam eos provocant. Sic igitur cum ante proelium ad Mycalen commissum legati Samiorum ad Leotychidem La-

[1]) Quodsi quis dicat, nimis multa Herodotum ad numinis auxilium retulisse, ei respondemus, in iis quidem tradendis, quibus vis illa divina se ostenderit, et errare potuisse et errasse haud raro scriptorem, sed in sensu ipso pietatis nimium esse posse neminem. Ceterum perversam prorsus ac vix ferendam esse censemus eorum opinionem, qui omne et patriae et certi cujusdam cultus divini studium exuendum esse ducunt rerum scriptoribus. Bene de hac re disputaverunt Hegewisch in Histor. und litterär. Aufsätzen p. 76 sqq. et Frid. Koeppen in libro ingeniosissimo qui inscriptus est Vertraute Briefe über Bücher und Welt. Vol. I p. 420 sqq. Rectissime Aeschylus in Persis v. 497 sqq. ubi cladem Persarum describit *θεοὺς δέ τις* inquit *τὸ πρὶν νομίζων οὐδαμοῦ, τότ' ηὔχετο λιταῖσι, γαῖαν οὐρανόν τε προσκυνῶν.* Num igitur is, qui haec memoriae prodit, funditus evertet ex animo, quod omnes senserunt?

[2]) IX, 82.

[3]) VIII, 143 *θεοῖσί τε συμμάχοισι πίσυνοί μιν ἐπέξιμεν ἀμυνόμενοι καὶ τοῖσι ἥρωσι* cet.

[4]) IX, 61. 62. 90.

[5]) VII, 192.

[6]) VIII, 144.

[7]) IX, 78. 79. *τὰ πρέπει μᾶλλον βαρβάροισι ποιέειν, ἤπερ Ἕλλησι.*

[8]) I, 71; III, 21 Aethiopum rex jubet Cambysen *θεοῖσι εἰδέναι χάριν, οἳ οὐκ ἐπὶ νόον τρέπουσι Αἰθιόπων παισὶ γῆν ἄλλην προσκτᾶσθαι τῇ ἑωυτῶν.*

cedaemoniorum ducem venissent atque inter eos Hegesistratus deos communes invocans obsecraret Lacedaemonios, ut Graeci Graecos a servitute liberarent, Leotychides deo ipso impellente sciscitatus nomen hospitis pro omine id accepit [1]) statimque ad pugnam expediit classem. Postridie autem pulchre litavere haruspice Deiphono Eueni filio, cui et ipsi divina sorte hoc munus obtigerat [2]), jamque ad pugnam se accingentibus nuntius hoc ipso die ad Plataeas vicisse Graecos divinitus [3]) allatus, ingentem ardorem pugnandique addidit alacritatem, praesertim cum ad ejusdem Cereris Eleusiniae templa et hic et illic pugnaretur [4]). Atque eodem modo Athenienses quidem credidere praesenti deorum numine [5]) Corinthios, cum pugnantes apud Salamina socios deseruissent, ex fuga retractos esse. Sed in ipsis etiam certaminibus bellique calamitatibus Graeci deorum experti sunt auxilium. Nam cum ad Artemisium pugnaretur magnam classis partem diis ipsis auctoribus saeva tempestate Xerxes amisit, ut scilicet exaequarentur pugnantium vires Persisque antea navium multitudine longe superioribus non multo major copia relinqueretur quam qua Graeci erant instructi [6]). Eamque non superstitiose [7]), sed qua decebat pietate deorum opem et Herodotum et ceteros Graecos agnovisse hodie quoque concedent qui impii ceteroquin simili modo nostram ab hoste liberatam esse patriam confessi sunt. Nec minus vere caesi apud Thermopylas Leonidae poenas Lacedaemoniorum virtute a Mardonio repetitas ad deos refert auctores, in iis etiam, quae et hoc loco [8]) et ubi de conservatis praesenti numinis auxilio Delphorum sacris loquitur [9]), superstitiosa sane pro temporis sui more narrationi immiscet, pietatis sensum ex imo profectum pectore ostendens.

[1]) IX, 90. 91. εἴρετο Λευτυχίδης, εἴτε κληδόνος εἵνεκε θέλων πυθέσθαι, εἴτε καὶ κατὰ συντυχίην, θεοῦ ποιεῦντος cet. Simili modo omen agnovisse videtur Herodotus in Pythiae nomine VII, 140, cum ipsa Aristonice victoriam Graecis auguraretur.

[2]) IX, 92—94.

[3]) IX, 100. δῆλα δὴ πολλοῖσι τεκμηρίοισί ἐςι τὰ θεῖα τῶν πρηγμάτων cet.

[4]) IX, 101. Καὶ τόδε ἕτερον συνέπεσε γενόμενον, Δήμητρος τεμένεα Ἐλευσινίης παρὰ ἀμφοτέρας τὰς συμβολὰς εἶναι.

[5]) VIII, 94. περιπίπτειν σφι κέλητα θείῃ πομπῇ· τὸν οὔτε πέμψαντα φανῆναι οὐδένα, οὔτε τι τῶν ἀπὸ τῆς ςρατιῆς εἰδόσι προςφέρεσθαι τοῖσι Κορινθίοισι. τῇδε δὲ συμβάλλονται εἶναι θεῖον τὸ πρῆγμα. cet.

[6]) VIII, 12. 13. ἐποιέετό τε πᾶν ὑπὸ θεοῦ, ὅκως ἂν ἐξισωθείη τῷ Ἑλληνικῷ τὸ Περσικὸν, μηδὲ πολλῷ πλέον εἴη. Cf. Aesch. Pers. 350 sqq.

[7]) De spectro quod in proelio ad Salamina commisso pugnantes accenderit, nihil nisi vulgi rumorem commemorat VIII, 84. Recte Aesch. Pers. 454 sq. ὡς γὰρ θεὸς ναῶν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης.

[8]) IX, 64. coll. VIII, 114.

[9]) VIII, 36—39.

Diversa eorum omnium apud Persas facies, qui quanta luxuria, superbia, impietate deorum iram meruerint vel ii cognitum habent, qui leviter tantum hanc historiae antiquae partem attigerunt [1]), neque minus notum, quibus ab ipso numine, cujus impie contempserant monita, poenis sint exagitati [2]). Cum enim, quae Herodoti verba sunt [3]), signis indicare dii soleant, si qua calamitate oppressuri sint civitatem vel nationem, satis multa etiam Persis imminentium malorum praenuntia dederunt. Xerxe Abydum versus castra movente sol defecit serenissimo coelo [4]); mox cum in Mysia ad Idae montis radices pernoctaret tempestate orta cum magno fragore tonitribusque complures ibi milites de coelo tacti sunt [5]); deinde ad Pergamum panicus terror per noctem invasit exercitum [6]), transgressoque Hellespontum ingens, ut ait noster, prodigium oblatum est, leporem videlicet enixa est equa, unde facile rex fortunam suam conjectare potuisset, cum praesertim simile portentum Sardibus adhuc degenti editum esset [7]). Sed aut nullam horum omnium rationem habebat [8]), aut magi sollicitudinem ejus falsa eludebant interpretatione. Quoniam igitur n e m o d e o s e f f u g e r e p o t e s t m a l o r u m v i n d i c e s [9]), gravissimis poenis affecti sunt Persae, et cum ante jam Darii conatus frustra fuissent, amissa maxima copiarum parte vix ipse Xerxes incolumis evasit [10]). Sed domi quoque ipsum totamque familiam ejus saevissima mala oppressere [11]). Nam cum fratris sui Masistae, qui, ab iratis quasi diis conservatus in hoc infortunium, vix vitae periculum effugerat, uxorem adamasset eamque dolo frustra petitam vi eripere vellet marito, haec ab Amestri regis conjuge nefandis prorsus cru-

[1]) Cf. Aesch. Pers. 744—750; 809—812; de saeva Xerxis crudelitate Herod. VII, 38. 39.

[2]) Aesch. Pers. 813—831.

[3]) VI, 27. *φιλέει δέ κως (θεὸς) προσημαίνειν, εὖτ᾽ ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλι ἢ ἔθνεϊ ἔσεσθαι.* cf. cp. 98. *καὶ τοῦτο μέν κου τέρας ἀνθρώποισι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν ἔφηνε ὁ θεός.*

[4]) VII, 37.

[5]) VII, 42.

[6]) VII, 43.

[7]) VII, 57.

[8]) Graeci contra ante Salaminiam pugnam terrae motu orto sacra diis obtulerunt VIII, 64.

[9]) V, 56. *Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.* De Trojae excidio II, 120 *ὡς μὲν ἐγὼ γνώμην ἀποφαίνομαι, τοῦ δ α ι μ ο ν ί ο υ παρασκευάζοντος, ὅκως πανωλεθρίῃ ἀπολόμενοι καταφανὲς τοῦτο τοῖσι ἀνθρώποισι ποιήσωσι, ὡ ς τ ῶ ν μ ε γ ά λ ω ν ἀ δ ι κ η μ ά τ ω ν μ ε γ ά λ α ι ε ἰ σ ὶ κ α ὶ α ἱ τ ι μ ω ρ ί α ι π α ρ ὰ τ ῶ ν θ ε ῶ ν. καὶ ταῦτα μὲν, τῇ ἐμοὶ δοκέει, εἴρηται.*

[10]) Severissimam, sed suam tantummodo de his rebus sententiam Herodotus IX, 65 promit, ubi clade Persarum Plataeensi descripta *θῶυμα δέ μοι* inquit, *ὅκως παρὰ τῆς Δήμητρος τὸ ἄλσος μαχομένων οὐδὲ εἷς ἐφάνη τῶν Περσέων οὔτε ἐσελθὼν ἐς τὸ τέμενος, ο ὔ τ ε ἐ ν α π ο θ α ν ὼ ν π ε ρ ὶ τ ὸ ἱ ρ ὸ ν, οἱ δὲ πλεῖςοι ἐν τῷ βεβήλῳ ἔπεσον. δοκέω δὲ, εἴ τι περὶ τῶν θείων πρηγμάτων δοκέειν δεῖ, ἡ θ ε ὸ ς α ὐ τ ή σ φ ε α ς ο ὐ κ ἐ δ έ κ ε τ ο, ἐμπρήσαντας τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Ἐλευσῖνι ἀνάκτορον.*

[11]) IX, 107—113, et cp. 109 aperte *κακῶς γὰρ ἔ δ ε ε πανοικίῃ γενέσθαι.*

ciatibus affecta, Masistes Bactrianos ad seditionem sollicitaturus ab exercitu regio cum filiis suis amicisque trucidatus est. Ac simili modo Artayctes, Artembarae, qui primus damnosa Persis suasisse fertur [1]), nepos, cum regis permissu in Chersoneso fanum Protesilai spoliasset ac scelestissimis flagitiis polluisset, obsessus captusque ab Atheniensibus ad postremum eo ipso in litore, ubi in Europam Xerxes trajecerat, palo suffixus est, filio in patris conspectu lapidibus obruto [2]). Nec sine causa haec in fine libri sui narrasse videtur Herodotus, ut scilicet ultimo etiam eoque illustri exemplo probaret totius operis consilium. Quod a verissimo nullamque artis speciem prae se ferente pietatis sensu profectum quam consentaneum fuerit communi tum omnium Graecorum animo et Aeschylus in Persis argumento est et ex iis conjectari licet, quae nostra quoque aetate, communis libertatis hoste praesentissima dei ope devicto atque in remotissimi maris saxum relegato, pietatem in hominum animos revocarunt numinisque divini ut in magnis illis gentium motibus ita in ceteris omnibus mortalis vitae rationibus agnoscere venerarique docuere potentiam.

Quae igitur in reliqua historia Herodotus exposuit de vi quam in utramque partem exerceat in homines providentia divina, ex eodem illo quem Graecorum Persarumque bella non in ipso solum nostro, sed in omnium etiam qui hoc tempore vixerunt animis suscitarunt pietatis sensu repetenda, eorum quae de consilio scriptoris supra sunt proposita veritatem egregie confirmant. Ita cum optima quaeque, etiam quae difficilia et ardua esse videntur hominibus, a diis non solum adjuventur sed contra omnium exspectationem ad exitum perducantur, Cyrene condita est, colonia a Theraeis licet invitis ipsis in Africam deducta [3]); Lycurgus oraculi Delphici adjutus consilio et auctoritate res Lacedaemoniorum perturbatissimas composuit legibusque egregiis firmavit [4]); Arion Methymnaeus, cum in eo esset ut a Corinthiis, quorum navigium conduxerat, divitiis ejus inhiantibus interficeretur, in mare desiliens et a delphino exceptus divina servatus est ope [5]). Simillimo modo Sethon Aegyptiorum regem eundemque Vulcani sacerdotem ipsi dii, quorum auxilio confidebat, contra validissimas Arabum Assyriorumque copias tutati sunt, magna murium agrestium vi in hostes immissa, qui pharetras et arcus ac scuta eorum ambederent, cujus in memoriam rei statua illius regis erecta est manu murem tenentis atque inscripta sunt verba. „In me quicunque intuetur pius esto" [6]). Eodem pertinet Croesi exemplum, qui rogo jam impositus, cum vio-

[1]) IX, 122 ea nimirum, quibus in bellum cum Graecis infaustissimum implicarentur.

[2]) IX, 116—120. Neque vero etiam Ephialtes patriae proditor poenam debitam effugit. Cf. VII, 213.

[3]) IV, 155. 156.

[4]) I, 65.

[5]) I, 23. 24.

[6]) II, 141 ἐς ἐμέ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω.

lentia ignis, quem Cyrus poenitentia sera ductus exstingui celerrime jusserat, comprimi non posset, cum lacrimis ac precibus invocans Apollinem, magna repente imbrium vi praesentissimo ereptus est periculo [1]). Nec praetereundum est hoc loco, quomodo numine divino instigante ad regnum pervenerit Darius Hystaspis filius; nam cum Cyro jam per visum nocturnum accepturum hunc quondam Persarum imperium deus portendisset [2]), postea ipsum cum ceteris qui contra magos conjuraverant in patranda caede eorum adjuvit [3]), et dolum etiam, quo ad eum regni sors devenit, fulgure tonitruque comprobavit [4]). — Sed eorum quoque, qui superbia spretoque humano juxta divinoque jure iram deorum meruere, sat multa exstant in hac parte historiae Herodoteae, cum barbarorum tum Graecorum exempla, quae sine ira et studio in hac quoque re versatum esse Herodotum probent. Et inter Lydiae quidem reges Alyattes, cum Minervae templum incendisset, morbo oppressus gravissimo non prius convaluit, quam pro uno illo duo delubra aedificasset [5]). Croesus autem Solonis primum contemptis consiliis [6]), dein portenti, quo ipsius regni finis ostendebatur, interpretatione a Telmessensibus sero petita [7]), quod suis nimium confidebat opibus et quod Syrorum sine causa agros devastaverat [8]), victus est a Cyro regnoque deturbatus. Persarum reges qui praeter Xerxem poenas dederint superbiae ac saevitiae cum nemo facile sit qui nesciat, Oroetis tantum viri inter Persas nobilis exemplum commemorabimus, qui postquam scelera multa commisit simili fere dolo, quo ipse Polycratem interemerat, a Dario oppressus est [9]). Et Polycratem non ob manifesta crimina, sed ideo quod et ab Amasi hospite [10]), et ab ipsa filia [11]) frustra monitus in fortuna nimiam posuerat fiduciam vanitatis hujus poenam luisse inter omnes constat. Sed scelerum conscientia vecors Cleomenes ipse sibi manum intulit [12]); Pheretima, Arcesilai filii necem crudelissime ulta nefandum habuit exitum [13]); Lacedaemonii, cum injustum bellum Tegeatis intulissent, victi

1) I, 87.
2) I, 209. 210.
3) III, 77 οἱ φύλακοι ἄνδρας τοὺς Περσέων πρώτους παρίεσαν, θείῃ πομπῇ χρεωμένους.
4) III, 85. 86.
5) I, 19—22.
6) I, 32.
7) I, 78.
8) I, 76.
9) III, 126—129 καὶ Ὀροίτεα Πολυκράτεος τίσιες μετῆλθον.
10) III, 42.
11) III, 124.
12) VI, 74—84.
13) IV, 205 ὡς ἄρα ἀνθρώποισι αἱ λίην ἰσχυραὶ τιμωρίαι πρὸς θεῶν ἐπίφθονοι γίνονται. Cf. cp. 164. 202.

iisdemque compedibus onusti, quibus hostes in servitutem erant redacturi, in horum agris opus facere coacti sunt [1]); Glauci Spartani iram deorum perjurio meriti domus funditus est eversa [2]), et Atheniensium, quod Persarum legatos contra jus gentium in puteum dejecerant, etiam hanc ob causam agros devastatos esse dixeris [3]).

Quae cum ita sint, non mirum tamen videri potest, numen illud potentissimum, quod ipsam justitiam tristi quadam severitate in homines imbecillitate sua atque impotentia miserrimos exerceat [4]), tale sibi et Herodotum et totam omnino antiquitatem finxisse, ut quantumvis maximae erga deos pietati animi quidam dolor admisceretur ex illa rerum humanarum inconstantia susceptus. Itaque noster in prooemio statim libri ideo se dicit monumenta rerum composuisse, ne tempore exolescerent facta hominum neve magna Graecorum ac barbarorum facinora gloria sua fraudarentur, et post paullo [5]) eandem se ait parvis et magnis civitatibus operam daturum, cum nihil sit in rebus mortalibus stabile ac mansurum. Ipsius igitur lacrimas esse credas, quas Xerxi, quas Croeso obortas esse narrat, illi, cum lustrata ingenti hominum quos in Europam transducebat multitudine vitae humanae brevitatem apud animum suum reputaret [6]), huic autem, cum Psammenitus, a Cambyse captus, conspecto grandiore jam natu amico, qui fortunatissimus olim nunc bonis omnibus exutus mendicans ipsum adibat, altissimum silentium ingenti erumpente fletu amici se casum lacrimis prosequi posse diceret, majoribus domesticis malis quam quae deflere posset [7]). Nec minus sane ipsius scriptoris sensus exprimunt quae in eandem sententiam dicta sunt ab iis quos passim super hac re loquentes inducit: humanarum rerum perpetuo quasi orbem versari nec unquam eosdem fortunatos esse sinere [8]), ante vitae exitum beatum esse

1) I, 66.

2) VI, 86, 3. 4 — Ὅρκου παῖς ἐςὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες,
Οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν, καὶ οἶκον ἅπαντα.
Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

3) VII, 133 — ὅ, τι δὲ τοῖσι Ἀθηναίοισι ταῦτα ποιήσασι τοὺς κήρυκας συνήνεικε ἀνεθέλητον γενέσθαι, οὐκ ἔχω εἶπαι, πλὴν ὅτι σφέων ἡ χώρη καὶ ἡ πόλις ἐδηώθη. ἀλλὰ τοῦτο οὐ διὰ ταύτην τὴν αἰτίην δοκέω γενέσθαι. Sed meruisse eos poenam haud obscure indicat.

4) Cf. e. g. VI, 86, 3. 4.

5) I, 5 τὰ γὰρ τοπάλαι μεγάλα ἦν τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε· τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά. τὴν ἀνθρωπηΐην ὦν ἐπιςάμενος εὐδαιμονίην οὐδαμᾶ ἐν τωὐτῷ μένουσαν, ἐπιμνήσομαι ἀμφοτέρων ὁμοίως.

6) VII, 45. 46 — Ἐσῆλθε γάρ με λογισάμενον κατοικτεῖραι, ὡς βραχὺς εἴη ὁ πᾶς ἀνθρώπινος βίος, εἰ τουτέων γε ἐόντων τοσούτων, οὐδεὶς ἐς ἑκατοςὸν ἔτος περιέςαι.

7) III, 14.

8) I, 207 εἰ δ' ἔγνωκας, ὅτι ἄνθρωπος καὶ σὺ εἶς, καὶ ἑτέρων τοιῶνδε ἄρχεις, ἐκεῖνο πρῶτον μάθε, ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπηΐων ἐςὶ πρηγμάτων· περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν. Cf. Ec-

praedicandum neminem [1]), omnesque homines variis obnoxios casibus morte demum a multiplici vitae labore maximisque mortalis aevi aerumnis atque molestiis liberari [2]). Quo ea etiam pertinent quae de Aegyptiorum conviviis narrat, post coenam nimirum statuam ligneam defuncti hominis speciem reddentem circumferri monstrarique singulis convivis adjectis verbis „in hunc intuens pota et oblecta te, post mortem enim talis es futurus" [3]). Qui igitur solus omnia potest neque hominum ope indiget deus [4]) idem solus est beatus et ne patitur quidem perpetua beatitate frui mortales [5]). Unde sponte quasi enata esse videtur de invidia quadam numinis opinio, non Herodoti solum sed Aeschyli quoque [6]) aliorumque sententiis expressa. Solon igitur Croeso multos, inquit, deus cum invidus sit ac turbulentus [7]) monstrata quodammodo felicitate funditus evertit, similiaque Amasin regem Polycrati Samiorum tyranno scripsisse legimus [8]); et ad Xerxen conversus Artabanus maxima quaeque, ait, et excelsissima gradu dejici a numine, nihilque quod sua magnitudine suoque robore grorietur ab eo illaces-

clesiast. 9 *τί τὸ γεγονός; αὐτὸ τὸ γενησόμενον· καὶ τί τὸ πεποιημένον; αὐτὸ τὸ ποιηθησόμενον. καὶ οὐκ ἔςι πᾶν πρόσφατον ὑπὸ τὸν ἥλιον.*

[1]) I, 30—32 *σκοπέειν δὲ χρὴ παντὸς χρήματος τὴν τελευτὴν, κῇ ἀποβήσεται.* cf. cp. 86 *τῷ δὲ Κροίσῳ ἐςεῶτι ἐπὶ τῆς πυρῆς ἐσελθεῖν — τὸ τοῦ Σόλωνος, ὥς οἱ εἴη σὺν θεῷ εἰρημένον, τὸ μηδένα εἶναι τῶν ζώντων ὄλβιον.*

[2]) I, 31 — *διέδεξέ τε ἐν τούτοισι (Κλεόβι καὶ Βίτωνι) ὁ θεὸς, ὡς ἄμεινον εἴη ἀνθρώπῳ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζώειν.* cp. 32 — *ἐν γὰρ τῷ μακρῷ χρόνῳ πολλὰ μὲν ἔςιν ἰδέειν τὰ μή τις ἐθέλει, πολλὰ δὲ καὶ παθέειν. ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζόης ἀνθρώπῳ προτίθημι — τουτέων τῶν ἁπασέων ἡμερέων — ἡ ἑτέρη τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ τοπαράπαν οὐδὲν ὁμοῖον προςάγει πρῆγμα. οὕτω ὦν, ὦ Κροῖσε, πᾶν ἐςι ἄνθρωπος συμφορή.* VII, 46 *ἐν γὰρ οὕτω βραχέϊ βίῳ οὐδεὶς οὕτω ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων πέφυκε — τῷ οὐ παραςήσεται πολλάκις, καὶ οὐκὶ ἅπαξ, τεθνάναι βούλεσθαι μᾶλλον ἢ ζώειν. αἵ τε γὰρ συμφοραὶ προςπίπτουσαι — μακρὸν δοκέειν εἶναι ποιεῦσι τὸν βίον. οὕτω ὁ μὲν θάνατος, μοχθηρῆς ἐούσης τῆς ζόης, καταφυγὴ αἱρετωτάτη τῷ ἀνθρώπῳ γέγονε.* Cf. cp. 49, 2; 203. Psalm. 103, 15. 16 *ἄνθρωπος, ὡσεὶ χόρτος αἱ ἡμέραι αὐτοῦ, ὡσεὶ ἄνθος τοῦ ἀγροῦ οὕτως ἐξανθήσει* cet. Eccles. 4, 2 *ἐπῄνεσα ἐγὼ σύμπαντας τοὺς τεθνηκότας τοὺς ἤδη ἀποθανόντας ὑπὲρ τοὺς ζῶντας.*

[3]) II, 78.

[4]) VII, 56 Xerxe in Europam transgresso dixisse aliquis fertur *ὦ Ζεῦ, τί δὴ ἀνδρὶ εἰδόμενος Πέρσῃ, καὶ οὔνομα ἀντὶ Διὸς Ξέρξεα θέμενος, ἀνάςατον τὴν Ἑλλάδα ἐθέλεις ποιῆσαι, ἄγων πάντας ἀνθρώπους; καὶ γὰρ ἄνευ τουτέων ἐξῆν τοι ποιέειν ταῦτα.*

[5]) VII, 46 *ὁ δὲ θεὸς, γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα, φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών.*

[6]) Aesch. Pers. 93 sq. *δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;* 360 sq. *οὐ ξυνεὶς δόλον Ἕλληνος ἀνδρὸς, οὐδὲ τὸν θεῶν φθόνον.* Cf. Genes. 3, 4. 5 *καὶ εἶπεν ὁ ὄφις τῇ γυναικὶ, Οὐ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. Ἤδει γὰρ ὁ θεὸς, ὅτι τῇ ἂν ἡμέρᾳ φάγητε ἀπ' αὐτοῦ, διανοιχθήσονται ὑμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἔσεσθε ὡς θεοὶ γινώσκοντες καλὸν καὶ πονηρόν.*

[7]) I, 32 *τὸ θεῖον πᾶν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες.*

[8]) III, 40 *ἐμοὶ δὲ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσι, ἐπιςαμένῳ τὸ θεῖον ὡς ἔςι φθονερόν.*

situm in statu suo permanere [1]). Atque eodem trahi possunt quae de Aimnesto Spartano memoriae produntur, qui Leonidam ac trecentos illos libertatis propugnatores fortissimos interfecto in Plataeensi pugna Mardonio ultus maximamque inde apud omnes Graecos gloriam adeptus postea et ipse cum trecentis militibus in proelio adversus Messenios commisso trucidatus est [2]). Quae omnia probare videntur, fortuita hominibus, non homines fortuitis imperare [3]). — Veruntamen ita in his doloris sensibus versetur Herodoti animus, ut, tametsi promptissimum etiam ad inertiam segnemque patientiam necessitas illa a numine ipso rebus mortalibus illata pertrahere videatur, tamen humani quoque ingenii vires plurimum valere contendat, hominesque ipsa deorum consilia libero arbitrio exsequi et in rebus gerendis quicquid a fato immineat exspectantes strenuos atque industrios se praebere et posse et debere doceat. Itaque idem ille Artabanus, qui fortunae omnes res humanas subjectas esse dixerat, eum esse ait virum optimum, qui in deliberando quidem mala omnia obstare posse consiliis suis reputet, ceterum conando audendoque suarum virium robur experiatur [4]), et quod ex toto narrationis decursu perspicitur ipse aperte profitetur Herodotus, secundum deos Athenienses liberasse Graeciam, ne oraculorum quidem atrocissimis responsis quominus communem patriae causam defenderent deterritos [5]), ac Themistoclis maxime sapientia, cum ad firmandas maritimas reipublicae opes Pythiae vocem traheret, factum esse, ut relictis jam sedibus patriis navali victoria Persarum impetum propellerent [6]). Atque aliis multis demonstratur exemplis sponte sua fecisse homines quae deorum tulerit voluntas [7]). Quae cum longius jam recedant a supersti-

1) VII, 10, 5 *Ὁρᾷς — ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιςα αἰεὶ καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτ' ἀποσκήπτει βέλεα; φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. οὕτω δὴ καὶ ςρατὸς πολλὸς ὑπὸ ὀλίγου διαφθείρεται κατὰ τοιόνδε. ἐπεάν σφι θεὸς φθονήσας φόβον ἐμβάλῃ, ἢ βροντήν, δι' ὧν ἐφθάρησαν ἀναξίως ἑωυτῶν, οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μέγα ὁ θεὸς ἢ ἑωυτόν.*

2) IX, 64 coll. VII, 229.

3) VII, 49, 1 *μάθε, ὅτι αἱ συμφοραὶ τῶν ἀνθρώπων ἄρχουσι, καὶ οὐχὶ ὥνθρωποι τῶν συμφορέων.*

4) VII, 49, 2 *ἀνὴρ δὴ οὕτω ἂν εἴη ἄριςος, εἰ βουλευόμενος μὲν ἀῤῥωδέοι, πᾶν ἐπιλεγόμενος πείσεσθαι χρῆμα, ἐν δὲ τῷ ἔργῳ θρασὺς εἴη.*

5) VII, 139 *νῦν δὲ Ἀθηναίους ἄν τις λέγων σωτῆρας γενέσθαι τῆς Ἑλλάδος οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι τἀληθέος· οὗτοι γὰρ ἐπὶ ὁκότερα τῶν πρηγμάτων ἐτράποντο, ταῦτα ῥέψειν ἔμελλε. ἑλόμενοι δὲ τὴν Ἑλλάδα περιεῖναι ἐλευθέρην, τοῦτο τὸ Ἑλληνικὸν πᾶν τὸ λοιπὸν, ὅσον μὴ ἐμήδισε, αὐτοὶ οὗτοι ἦσαν οἱ ἐπεγείραντες, καὶ βασιλῆα μετά γε θεοὺς ἀνωσάμενοι* cet.

6) VII, 140—143.

7) VI, 34—36; IV, 136 Scythae Graecis dicunt pontem quo Darius Istrum junxerat custodientibus: *νῦν λύσαντες τὸν πόρον, τὴν ταχίςην ἄπιτε χαίροντες ἐλεύθεροι, θεοῖσί τε καὶ Σκύθῃσι εἰδότες χάριν.* — Cyrus (I, 80) jusserat *Κροῖσον αὐτὸν μὴ κτείνειν, μηδ' ἢν συλλαμβανόμενος ἀμύνηται,* sed diis ipsis vitae ejus prospicientibus servatus est (cp. 85); et quae Croesus deinde

tiosa illa pietatis ratione, egregie prorsus cum veriore rerum divinarum humanarumque cognitione consentiunt quae de reconciliata deorum gratia dicta sunt ubi impietatis ac scelerum homines poeniteat. Nam Croesum quidem, posteaquam confessus est tandem, non oraculi, non Apollinis, sed suam esse omnium malorum culpam, divina servatum ope et bonum virum et diis gratum cognoscimus [1]), quin tantam in consilio, quod Cyro dedisse narratur, sapientiam prae se ferentem, ut ipsum Solonem audire nobis videamur [2]). Atque eundem magno non solum apud Cyrum sed etiam apud Cambysen honore habitum, cum hunc a crudelitate revocare studuisset atque ea re graviter offendisset tyranni animum, humana quidem ope, sed divina providentia a summo capitis periculo iterum liberatum videmus [3]). Ipse etiam Cambyses, cum saeva et nefanda multa perpetrasset, ubi mortem imminere videt fato properam, fratris caedem multo prosecutus fletu gemituque in gratiam quasi redit cum diis iratis ac sapienter sane Persarum nobilissimos allocutus plane alium se praebet atque in vita ante acta fuerat [4]).

Quodsi igitur eum omnino pium appellamus, qui omnes generis humani rerumque naturae mutationes ad deum refert auctorem, nihilque sine ejus numine neque inchoari neque ad exitum perduci posse persuasum habet, haud sane quisquam inter veteres pietatis laude dignior sit inveniendus Herodoto. Sin peccatorum malorumque omnium causas in hominum animis sitas a deo sanctissimo, ut incolumem praestemus pietatis sensum, procul amovendas esse credimus, non impium quidem, sed errori interdum gravissimo obnoxium dicemus nostrum, quippe qui lucis illius expers, quae una ad veram et sanctitatis divinae cognitionem et culpae humanae conscientiam viam monstravit, solam fere vel deorum potentiam vel hominum imbecillitatem intueatur, et ipso fato urgente ad prave facta minus delapsos quam detrusos esse mortales opinetur. Eoque errore obcaecatum, sed simul verissimo infirmitatis qua mortalia cuncta premuntur sensu perfusum animum ejus subiit tristitia illa, qua optimos quosque veterum commotos videmus, qua in libris suis Tacitum, qua Carthaginis altae ruinis

sapienter admodum suasit Persarum regi, ab ipso quasi numine divino profecta esse videntur. cp. 87 sqq.

1) I, 91 *συνέγνω ἑωυτοῦ εἶναι τὴν ἁμαρτάδα, καὶ οὐ τοῦ θεοῦ* et cp. 87 servato eo ex igne imbrium vi Cyrus cognovit *ὡς εἴη ὁ Κροῖσος καὶ θεοφιλὴς καὶ ἀνὴρ ἀγαθός.*

2) I, 88. 89.

3) III, 36.

4) III, 65 Xerxes quoque poenitentia quadam actus esse videtur cum ad Hellespontum sacra offerret diis, quorum impia superbia iram moverat VII, 54, sed ipse Herodotus *ταῦτα*, inquit, *οὐκ ἔχω ἀτρεκέως διακρῖναι — εἰ μετεμέλησέ οἱ τὸν Ἑλλήσποντον μαστιγώσαντι, καὶ ἀντὶ τουτέων τὴν θάλασσαν ἐδωρέετο.* Cf. Aesch. Pers. 293 sq. et 600 sq.

insidentem Scipionem validissimi orbis terrarum imperii jamjam incipienti excidio illacrimasse scimus. Quae dum non malorum tantum miseriarumque hujus vitae cogitatione orta ex parte saltem aliqua ad peccata quoque hominum refertur, quibus solis vere miseri putandi sunt, quibusque sublatis mala simul omnia tolluntur, habet profecto etiam, quo ad ipsam Christianam rationem proxime videatur accedere [1]). Quapropter ii, qui eo usque abhorrent a pietatis sensu, ut a tristitia illa vacui prorsus eamque quasi animi aegri signum procul arcentes ne agnoscant quidem mortalis vitae ex ipsis peccatis ortam imbecillitatem et miseriam, nedum ei fidem tribuant, quem ut hoc dolore liberaret et ad aeternum gaudium eveheret genus humanum a coelo in hanc terram demissum credimus, ii inquam omnes in historia quidem conscribenda Herodoto nostro non solum pietatis verum etiam humanitatis laude cedere videntur [2]).

[1]) Luc. XIX. 41 sqq. *Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ, λέγων ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καί γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου· νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου· Ὅτι ἥξουσιν ἡμέραι ἐπὶ σε, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σου* cet. Pauli Apost. ad Rom. ep. VIII, 21 sq. *καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν.* 2 ad Corinth. VII, 10 *Ἡ γὰρ κατὰ θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται, ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη θάνατον κατεργάζεται.* Et si recte intelligatur, pertinet huc etiam ejusdem Apostoli ad Corinth. I, 7, 30 sq. *οἱ χαίροντες, ὡς μὴ χαίροντες· καὶ οἱ ἀγοράζοντες, ὡς μὴ κατέχοντες· καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ ὡς μὴ καταχρώμενοι. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου.*

[2]) Cf. Herderi commentationem quae inscr. Nemesis.

Guil. Boetticher.

Schulnachrichten.

A. Allgemeine Lehrverfassung des Gymnasiums.

I. Prima.

Ordinarius Professor *Barby*.

Latein. Horat. Carm. lib. IV. und I. mit Auswahl. Epp. lib. I. 1—8. 2. St. *Der Director.* Ciceronis Oratt. in Verrem Act. I. Act. II. lib. 1 und 4. 2 St. Lateinische Stilübungen mit Einschluſs der Censur der häuslichen Aufsätze 2 St. Der Prof. *Barby.* Im Sommersemester Tacitus Ann. lib. I; Hist. I. und latein. Extemporalien 3 St. Oberlehrer *Bonnell*; im Wintersemester Tacitus Agricola, das zehnte Buch Quintilians und latein. Extemporalien 3 St. Prof. Dr. *Bötticher.* Zusammen 9 St.

Griechisch. Im Sommersemester Sophoclis Oedipus Rex und im Wintersemester Euripidis Hecuba. 2 St. Der Prof. *Barby.* Die Lebensbeschreibungen des Themistokles und Perikles von Plutarch, den gröſseren Hippias, den Charmides und die Apologie des Platon. 2 St. Als Privatlectüre: die Odysee ganz, die Memorabilien des Xenophon fast ganz. 1—2 St. Exercitien aus Cornel, alle 14 Tage 1 St. Prof. *Yxem.* Zusammen 6 St.

Deutsch. Beurtheilung der Aufsätze. Neuere Literaturgeschichte vom Jahre 1770 an. 2 St. Prof. *Yxem.*

Hebräisch. Ausgewählte Psalmen, und cursorisch das Buch der Richter nebst Exercitien in 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann.*

Französisch. Gewählte Stücke aus dem Handbuch von Ideler und Nolte, prosaischer Theil; Grammatik, Exercitien, Extemporalia. 2 St. Sprachlehrer *Frings.*

Religion. Geschichte der christlichen Kirche von ihrer Stiftung bis zum Ende des 11. Jahrhunderts. 2 St. *Der Director.*

Geschichte. Allgemeine Weltgeschichte von dem Anfange des 15. bis zu dem Anfang des 18. Jahrhunderts, wöchentlich 2 St. Prof. *Wendt.* Geschichte Griechenlands im Sommer 2, im Winter wöchentlich eine Stunde. *Derselbe.*

Mathematik. Ebene Trigonometrie und analytische Geometrie. 4 St. Prof. *Pohl.*

Physik. Mechanik. Electricität und Magnetismus. 2 St. Prof. *Pohl.*

Philosophie. Empirische Psychologie. 1 St. *Der Director.*

II. Secunda.

Ordinarius Professor *Siebenhaar.*

Latein. 1) Cic. Orat. pro Milone, pro Roscio Amerino, in Catilinam Orat. I. in 3 wöchentlichen Stunden. 2) Livius Lib. XXX.—XXXV. incl. in 2 wöchentlichen St. 3) Latein. Stilübungen durch Exercitia, Extemporalia und freie Aufsätze nach Thematen in 2 wöchentlichen St. Prof. *Siebenhaar.* 4) Virgil. Aen. Lib. II. VI. VII. 2 St. Im Sommer Prof. *Böttícher,* im Winter Prof. *Siebenhaar.* Zusammen 9 St.

Griechisch. Ilias Lib. XIX.—II. incl. 3 St. Abschnitte aus den Atticis von Jacobs: Apologie des Socrates; Xenophon, Thucydides, Criton des Plato, einiges aus dem Isocrates. 2 St. Exercitia und Stilübungen 2 St. Zusammen 7 St. Professor *Siebenhaar.*

Deutsch. Beurtheilung der schriftlichen Arbeiten und Uebungen im mündlichen Vortrage. 2 St. Prof. Dr. *Böttichen.*

Hebräisch. Im Sommerhalbjahre ausgewählte Psalmen und Exercitia, im Winterhalbjahre die Genesis bis c. 24. nebst Exercitien in 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann.*

Französisch. Wöchentlich 2 Stunden. In einer wird ein Stück aus dem Handbuche von Ideler und Nolte statarisch gelesen, in der andern werden Extemporalia geschrieben; in beiden Stunden finden beständig Sprechübungen statt. Dr. *Rosenau.*

Religion. Christliche Glaubens- und Sittenlehre. 2 St. Prof. Dr. *Böttícher.*

Geschichte. Macedonische und Römische Geschichte. 3 St. Prof. Dr. *Böttícher.*

Mathematik. Algebraische Constructionen. Gleichungen 1. und 2. Grades; das Allgemeinste über die Auflösung von Gleichungen höherer Grade. Logarithmen. Arithmetische Progressionen verschiedener Grade. Geometrische Progressionen. 4 St. Prof. *Pohl.*

Physik. Mechanik. Elektricität und Magnetismus. 2 St. Prof. *Pohl.*

Philosophie. Logik. 1 St. Prof. *Pohl.*

III. Obertertia.

Ordinarius Professor *Wigand.*

Latein. Cicero's Briefe nach der Weiske'schen Sammlung, und zwar Br. 1 bis 30. und ferner Br. 51 bis 78. 3 St. Ovids Metamorphosen 1. 2. 11. 12. nach dem Seidelschen Auszuge. 2 St. Der Prof. *Barby.* Im Wintersemester Caes. de bello Gallico Lib. I.—III. cursorisch 1 St. Curt. Lib. III. und einige Capp. des vierten statarisch. 2 St. Latein. Stilübungen. 3 St. Prof. Dr. *Bötticher.* Zusammen 11 St.

Griechisch. Homer. Odyss. XIV. und die Hälfte des XV. Buchs, wöchentlich 2 St. Xenoph. Anab. lib. V. und VI., 2 St. wöchentlich. Griechische Grammatik, Etymologie, Uebersicht der Syntax und Censur der Exercitien und Extemporalien, wöchentlich 2 St. Prof. *Wigand.* Zusammen 6 St.

Deutsch. Censur der schriftlichen Arbeiten; Uebungen im freien mündlichen Vortrage, und kurze Uebersicht der neueren deutschen Litteraturgeschichte; wöchentlich 2 St. Prof. *Wigand.*

Hebräisch. Im Sommerhalbjahre ein vollständiger grammatischer Cursus, im Winterhalbjahre Repetition desselben, verbunden mit der Uebersetzung und Erklärung leichter historischer Stücke aus der Genesis und Josua in 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann.*

Französisch. Charles XII. in der 1. St. Grammatik, Exercitien, Extemporalia in der 2. St. Wöchentlich 2 St. Sprachlehrer *Frings.*

Religion. Christliche Glaubenslehre in 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann.*

Geschichte. Allgemeine Geschichte vom 11. Jahrhundert bis zur neueren Zeit hin, in Verbindung mit einer kurzen geogr. Uebersicht des geschichtlichen Schauplatzes; wöchentlich 3 St. Prof. *Wigand.*

Mathematik. Die Elemente der allgemeinen Größenlehre, und die Stereometrie, halbjährlicher Cursus, 4 St. Prof. *Yxem.*

IV. Untertertia.

Ordinarius Professor *Wendt.*

Latein. Jul. Caes. de B. G. die vier ersten Bücher, und ein Theil des fünften, wöchentlich 3 St. Prof. *Wendt.* Grammatik, Exercitien und Extemporalia, wöchentlich 3 St. *Derselbe.* Cornelius Nepos ganz, chronologisch übersetzt, die einzelnen ge-

lesenen Stücke in das Lateinische zurück übersetzt in 2 St. Ovid. Metam. lib. III. IV. 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann*. Zusammen 10 St.

Griechisch. Formenlehre bis zu den Verb. anom. incl. nebst Exercitien und Extemporalien. 3 St. Prof. *Wendt*. Jacobs Lesebuch 2. Cursus. S. 69 bis 142. 3 St. *Derselbe*. Zusammen 6 St.

Deutsch. Censur der schriftlichen Arbeiten; freie mündliche Vorträge. Prof. Dr. *Uhlemann*.

Französisch. Grammatik nach Hirzel, besonders über den Gebrauch der Zeiten, Einübung der Genusregeln; Heckers Lesebuch Th. II. Exercitia und Extemporalia. Sprechübungen. 2 St. Lehrer *Herrmann*.

Religion. Die christliche Glaubenslehre aus den 3 ersten Evangelisten entwickelt in 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann*.

Geschichte. Allgemeine Weltgeschichte von Augustus Tode bis in das 18. Jahrhundert, im Sommer 2 St. im Winter eine 3. Stunde für die Geographie Europa's. Prof. *Wendt*.

Mathematik. Halbjährlicher Cursus: Wiederholung des Cursus von Quarta. Decimalbrüche. Ausziehung der Quadrat- und Kubikwurzel. Die Proportionen und die auf denselben beruhenden Rechnungsarten mit praktischen Uebungen. Dann die Planimetrie beendigt. 5 St. Prof. *Yxem*.

V. Oberquarta.

Ordinarius Oberlehrer *Bresemer*.

Latein. Corn. Nepos: Miltiades, Themistocles, Aristides, Pausanias, Cimon, Lysander, Alcibiades. 3 St. Oberlehrer *Bresemer*. Syntax und Exercitien. 3 St. *Derselbe*. Phaedrus: im Winter lib. II. von fab. V. bis zu Ende. 1 St. *Derselbe*. Wiederholung des etymologischen Theils der Grammatik und latein. Exercitien. 2 St. Im Winter Oberlehrer *Bresemer*. Zusammen 9 St.

Griechisch. Die Formenlehre bis zu den Verbis barytonis incl., nach Buttmanns Schulgrammatik; Uebungen im Uebersetzen aus dem Griechischen ins Deutsche aus Jacobs Lesebuch; Exercitien aus dem Deutschen ins Griechische nach Hess. 5 St. Im Sommer Prof. Dr. *Bötticher*; im Winter Oberlehrer *Bresemer*.

Deutsch. Aufsätze. Uebungen im mündlichen Vortrage. 2 St. Oberl. *Bresemer*.

Französisch. Einübung der Grammatik, besonders der unregelmäfsigen Zeitwörter nach Hirzel; Phraseologie; Uebersetzung der der Grammatik von Hirzel angehängten Anekdoten. 2 St. Im Sommer Lehrer *König*, im Winter Oberlehrer *Walter*.

Religion. Leben Jesu, 2 St. wöchentlich. Prof. *Wigand.*

Geschichte. Im Sommer Uebersicht der allgemeinen Geschichte von 476 n. C. bis zur Reformation. 2 St. Oberlehrer *Bresemer.* Im Winter Uebersicht der alten Geschichte bis zum Untergange des abendländischen Kaiserthums. 2 St. Oberl. *Walter.*

Geographie. Asien, Afrika, Amerika und Australien. 2 St. Im Sommer Oberlehrer *Bresemer*, im Winter Oberlehrer *Walter.*

Mathematik. Das erste Buch des Euklid (nach Matthias Leitfaden Abschnitt 1—5) in 3 wöchentlichen Stunden. Wiederholung der Rechnungen mit Brüchen. 1 Stunde wöchentlich. Im Sommer Lehrer *König*, im Winter Oberlehrer *Salomon.*

VI. Unterquarta Coetus I. und II.

Ordinarius Oberlehrer *Walter.*

Latein. Etymologischer Theil der Grammatik, nach Zumpt; Uebersetzung des Elementarbuches von Jacobs und Döring und der Uebungsstücke von Bonnell; Exercitien und Extemporalien. Zusammen 10 St. Coetus I. Oberlehrer *Walter.* Coetus II. Dr. *Giese.*

Deutsch. Lehre von der Satzbildung; Recension der deutschen Aufsätze; Uebungen im freien Erzählen. 3 St. Coetus I. Dr. *Lorentz.* Coetus II. Dr. *Alberti.*

Französisch. Einübung sämmtlicher unregelmäfsiger Verba. Uebersetzungen aus dem Französischen (Heckers Lesebuch Abschnitt II.) mit Berücksichtigung der syntaktischen Regeln; in den letzten beiden Monaten auch Uebersetzung leichter Uebungsstücke über die unregelmäfsigen Verba aus dem Deutschen ins Französische. 3 St. wöchentlich. Coetus I. Dr. *Lorentz*, Coetus II. Dr. *Alberti.*

Religion. Uebersicht des alten und neuen Testaments, 2 St. wöchentlich. Prof. *Wigand.*

Geographie. Physische Erdkunde von Europa und Uebersicht der Staateneintheilung. 3 St. Oberlehrer *Walter.*

Arithmetik. Bruchrechnung. 3 St. Coetus I. Oberlehrer *Salomon*, Coetus II. Dr. *Alberti.*

Naturgeschichte. Uebersicht des gesammten Thierreichs, 2 St. wöchentlich in jedem Coetus. Prof. *Trahndorff.*

Schreiben. In 3 Abtheilungen von einfachen Current- und Cursivschriften bis zu Canzlei- und Frakturschriften, nach eignen Vorschriften. (Coetus I.) 2 Stunden. Schreiblehrer *Jahrmark.* Coetus II. Schnellschreiben, deutsch und englisch. Schreiblehrer *Meyer.*

Zeichnen. Coetus I. Freies Handzeichnen nach Vorlegeblättern. 2 St. Zeichnenlehrer *Lust.* Coetus II. Nach Vorlegeblättern im Figuren-, Landschafts- und Blumenfach. 2 St. Maler *Röthig.*

VII. Quinta.

Ordinarius Oberlehrer *Salomon.*

Latein. 1) Formenlehre (nach Zumpt cap. 5 bis cap. 58) und einige Hauptregeln über den Gebrauch der Casus. 5 St. 2) Uebersetzen aus dem Lateinischen ins Deutsche (nach Bonnells Uebungsstücken) 2 St. 3) Lateinische Exercitia und Extemporalia. 2 St. Zusammen 9 St. Im Sommer Oberl. *Bonnell,* im Winter Oberl. *Salomon.*

Deutsch. Das Wichtigste aus der Etymologie und Syntax der beugbaren Redetheile mit besonderer Berücksichtigung der allgemeinen Sprachlehre. 2 St. Recension der deutschen Ausarbeitungen 1 St. Declamations-Uebungen 1 St. Zusammen 4 St. wöchentlich. Dr. *Lorentz.*

Französisch. Einübung der regelmäfsigen Verba im Activ und Passiv, so wie der neutralen und zurückkehrenden Verba, in der bejahenden, verneinenden, fragenden und fragend verneinenden Form. Dabei Uebersetzungen aus dem Französischen (Heckers Lesebuch Th. I. Abschnitt I. und II.) und zuletzt auch aus dem Deutschen. 3 St. wöchentlich. Im Sommer Lehrer *König,* im Winter Dr. *Lorentz.*

Religion. Einzelne historische Momente des alten und neuen Testaments. 2 St. wöchentlich. Prof. *Wigand.*

Geographie. Uebersicht der allgemeinen Erdbeschreibung, alsdann Darstellung der aufsereuropäischen Welttheile, besonders in Rücksicht auf die physischen Verhältnisse. Jährlicher Cursus. 3 St. wöchentlich. Dr. *Lorentz.*

Arithmetik. Die vier Species in unbenannten und benannten Zahlen und einige Vorbegriffe von den Brüchen. 3 St. wöchentlich. Im Sommer Lehrer *König,* im Winter Oberlehrer *Salomon.*

Naturgeschichte. Naturgeschichte der Amphibien, Fische, Insekten und Würmer. 3 St. wöchentlich. Prof. *Trahndorff.*

Schreiben. In 3 Abtheilungen, von einfachen Current- und Cursivschriften bis zum Anfange in Canzleischriften. Wöchentlich 2 St. Schreiblehrer *Jahrmark.*

Zeichnen. Freies Handzeichnen nach Vorlegeblättern. 2 St. wöchentlich. Zeichnenlehrer *Lust.*

VIII. Sexta.

Ordinarius Doctor *Wiese.*

Latein. Grammatik bis zur ersten Conjugation incl.; Uebungen zur Anwendung des Gelernten, mündlich und schriftlich. Uebersetzen aus dem Lateinischen ins Deutsche. Im Sommer 6 St. Oberlehrer *Bresemer.* Im Winterhalbjahre die Grammatik bis zu den unregelmäſsigen Verbis, Uebersetzen aus Bonnells Lesebuch, und aus dem Deutschen ins Lateinische. 8 St. Dr. *Wiese.*

Deutsch. Aus der Grammatik die Lehre von den Wortarten, nebst Anwendung in mündlicher und schriftlicher Satzbildung. Orthographische und Leseübungen. Kleine Aufsätze. Uebungen der Anschauung. Im Sommer Professor *Trahndorff*; im Winter Dr. *Wiese* 4 St.

Französisch. Grammatik bis zu den regelmäſsigen Verben; Uebersetzen aus Heckers Lesebuch Th. I. Im Sommer Dr. *Benary*; im Winter Dr. *Wiese* 3 St.

Religion. Die Geschichte des A. T. Auswendig lernen von Sprüchen und Liederversen. Im Sommer Prof. Dr. *Böttícher*; im Winter Dr. *Wiese.* 2 St.

Geographie. Allgemeine Uebersicht der Länder und Gewässer der Erde; Geographie Europa's. Im Sommer 3 St. Dr. *Benary*; im Winter 2 St. Oberl. *Bresemer.*

Arithmetik. Einübung der 4 Grundrechnungsarten in benannten und unbenannten Zahlen; mehr Kopfrechnen als Zifferrechnen. Im Sommer Dr. *Benary*; im Winter Dr. *Wiese* 3 St.

Naturgeschichte. Naturgeschichte der Säugethiere und Vögel. 3 St. Prof. *Trahndorff.*

Schreiben. In 4 Abtheilungen, von den ersten Elementen deutscher und lateinischer Handschriften bis zu mehrzeiligen Vorschriften in beiden Arten. Wöchentlich 2 St. Schreiblehrer *Jahrmark.*

Zeichnen. Freies Handzeichnen nach Vorlegeblättern. 2 St. Zeichnenl. *Lust.*

Gesangunterricht.

In der ersten Gesangklasse wurden während des verflossenen Schuljahres eingeübt: sämmtliche Chöre aus Händels Samson, Motetten von J. Haydn, ein Kyrie von A. Lotti, und das Dettingen-Te Deum von Händel. Wöchentlich eine Stunde war den vereinigten vier Stimmen, zwei dem Sopran und Alt, und eine dem Tenor und Baſs bestimmt. In letzterer wurden auch Gesänge für Männerstimmen von B. Klein,

Haslinger u. s. w. eingeübt. In einer Stunde wöchentlich ward die musikalische Theorie den Geübtesten vorgetragen.

Die für Tenor oder Baſs geeigneten Mitglieder der obern Klassen, welche noch Elementarunterricht bedurften, erhielten denselben in einer wöchentlichen Stunde.

Diese 6 Gesangunterrichtsstunden ertheilte der Musikdirektor *Rex*.

Die Schüler von Oberquarta, Unterquarta und Quinta wurden in zwei verschiedenen Singklassen durch den Gesanglehrer *Müller* in den Elementen unterrichtet und geübt.

B. Chronik des Gymnasii.

Das Lehrerpersonal hat im Laufe des verflossenen Jahres mehrere Veränderungen erfahren. Gleich beim Anfange des neuen Cursus trat an die Stelle des Sprachlehrers Herrn *Marguet*, welcher aus dem Verhältnisse zum Gymnasio ausgeschieden war, Herr *Frings*, der auch an dem hiesigen Berlinischen Gymnasio als Lehrer der französischen Sprache angestellt ist, und sich schon durch seine ausführliche französische Sprachlehre, so wie durch mehre zweckmäſsige Elementarbücher einen sehr vortheilhaften Ruf erworben hat. — Michaelis v. J. schied aus unserm Kreise Herr Oberlehrer *Bonnell*, um eine ihm angetragene Stelle am Berlinischen Gymnasio, durch welche seine äuſsere Lage bedeutend verbessert wurde, zu übernehmen. Wir bedauern um so mehr den Verlust dieses wackern Collegen, da er mit treflichen philologischen Kenntnissen ein sehr gutes pädagogisches Talent verband, so daſs es ihm gelungen war, sich im hohen Grade die Liebe seiner Schüler zu erwerben. — Zu derselben Zeit verlieſs uns Herr *König*, nachdem er ein Jahr hindurch an der Anstalt gearbeitet hatte, und ging nach Meurs, wo ihm das Prorectorat an dem dortigen Progymnasio übertragen ist. Unsre herzlichen Wünsche folgten ihm, da er sich stets von gutem Willen und regem Eifer beseelt zeigte, der Jugend nützlich zu werden.

Neu angestellt wurde Herr *Salomon*, welcher bis dahin als Mitglied des pädagogischen Seminars für gelehrte Schulen am Joachimsthalschen Gymnasio fungirt hatte; und dessen ausgebreitete Kenntnisse einen reichen Segen für die Anstalt hoffen lassen. — Die übrigen zu besetzenden Stunden wurden von dem Herrn Dr. *Lorentz*, Mitglied des pädagogischen Seminars, und Herrn Dr. *Wiese*, der zugleich sein pädagogisches Probejahr an der Anstalt macht, übernommen. Beide junge Männer haben ihre Gelehrsamkeit schon öffentlich beurkundet, jener durch seine Abhandlung: De Tarento; dieser durch seine Schrift: De Messalla Corvino.

Um ferner eine Ueberfüllung der Klassen zu vermeiden, wurde Unterquarta zunächst für das Wintersemester in zwei Cötus getheilt, und die Sprach- und wissenschaftlichen Stunden den Mitgliedern des Seminars, Herrn Dr. *Alberti* und Dr. *Giese*, die technischen aber dem Herrn Schreiblehrer *Meyer* und Maler *Röthig* übertragen.

C. Statistische Nachrichten.

Die Zahl der Schüler war im letzten Vierteljahr folgende: in Prima befanden sich 36, in Secunda 34, in Obertertia 37, in Untertertia 52, in Oberquarta 64, in Unterquarta C. I. 50, C. II. 32, in Quinta 64, in Sexta 44; zusammen 414.

Aufgenommen sind im verflossenen Jahre 123 Zöglinge. Abgegangen:

Zur Universität.

a) Michaelis 1829.

1) *Gustav Adolph Ferdinand Schaede*, aus Zehlendorf gebürtig, 25 Jahr alt, 5 Jahr auf dem Gymnasio, 2 Jahr in Prima; erhielt No. I. und studirt Theologie in Berlin.

2) *August Wilhelm Gustav Hamdorf*, aus Berlin, 19 Jahr alt, 7 Jahr auf dem Gymnasio, 1½ Jahr in Prima; erhielt No. I. und studirt in Berlin Jurisprudenz.

